

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Exercitatio theologica de fragrantia Christi quam ex 2.  
epist. ad Corinth. 2, 15.16**

**Buddeus, Johann Franz  
Naumann, Tobias Gottfr.**

**Ienae, 1712**

**VD18 11426357-001**

§. IX.

[urn:nbn:de:bsz:31-130634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130634)

poenas infligere cessavit, irae loco gratiam exhibet, & oblectatur nunc iis, quos alias tanquam hostes propellebat. Id quod ulterius patet, quando DEVS in contrarium testatur *Leu. XXVI. 31. odorem vestrae fragrantiae, non odorabo*, i. e. eis non oblector, non accipiam, neque gratiam exhibebo.

§. IX. De praedicatione euangelii eiusque ministerio, per quod Iesus crucifixus, cum merito & reconciliatione peccatorum cum Deo irato, manifestatur, quod sit *ἑὐωδία χριστοῦ*, Christi fragrantia bona Deo, odor nempe suavitatis, gratus & acceptabilis, Paulus loquitur *II. Cor. II. 15. χριστοῦ ἑὐωδία ἔσμεν τῷ Θεῷ ἐν τοῖς σωζομένοις καὶ ἐν τοῖς ἀπολλυμένοις. οἷς μὲν, ὁσμή θανάτου εἰς θάνατον. οἷς δὲ ὁσμή ζωῆς εἰς ζωὴν. Christi sumus fragrantia Deo, in iis qui saluantur & in iis qui pereunt. His quidem odor mortis ad mortem: illis vero odor vitae ad vitam.* Nulla e Paulinarum epistolarum numero certe datur, in qua articulum de euangelii doctrina eiusque ministerio, fusius & solidius, tanquam in propria sua sede tractet apostolus, quam haec posterior ad Corinthios scripta. In

ista enim cum eiusmodi hominibus ei res erat, qui variis occupati erroribus, de lege & euangelio a doctoribus suis male instituti erant. Rectum itaque de euangelio sensum iis inculcare allaborabat. Ideo per tot capita, hanc tractat materiam, a *cap. II com. 12. ad V.* in vna serie, & *cap. V.* inserit accidentalia nonnulla, quae euangelium comitantur, quo crux Christianorum pertinet. Sub finem huius capituli epilogum, totam doctrinam summam complectentem, annectit; tandemque *cap. VI. & VII.* usum in praxi vitae ostendit. Haec vero iam allata verba, thesoros instar cuiusdam sunt, quam deinceps Paulus explicat ulterius. Meum igitur erit, sensum eiusdem pluribus indagare.

§. X. Ut igitur ab ovo rem exordiar, Paulus celebrat DEVM coelestem Patrem, quod apostolorum ministerio, agnitio Iesu Christi tanquam odor bonus, vndiquaque manifestatus sit, inter gentes. Hinc ipsorum ministerium, quod euangelium de Christo administrat, Deo gratum, acceptumque esse, persuasum habet, quanquam omnibus ac singulis mortalibus, ipsorummet culpa, non in salutem vergat; nihilominus tamen Deum, iis, qui de filio suo  
euan-